

ARGUMENTUM.

Qui libello famoso alteri suppresso nomine convitium fecit & tale ei delictum impropertavit, ob quod, si illud probaretur, capitali vel corporali pœna affici, aut etiam fame & existimationis iacturam pati posset, is utique eandem pœnam, quam innocenti sua calumnia conciliare voluit, sustinere debet: & licet convitium esset verum, nihilominus tamen ejusmodi convitiator pro Judicis arbitrio puniendus est.

EXEGESIS.

AD intelligendum hunc articulum notanda i. est Differentia inter injuriam scriptam & libellum famosum. Nam injuria scripta illa est, cum aliquid scribitur contumeliæ causa, quod quidem ad alterius despectum & læsionem tendit, sed citra infamiam. Verum famosus libellus ad alterius infamiam pertinet, utpote cui impingitur delictum aliquod notabile, quod in populum spargitur, cujus pœna vel capitalis vel corporis inflictiva est. Vide Hahn. ad Wesemb. de Injur. n. 18. p. 481. Githausen in Arbore Criminal. c. 2. tit. 34. n. 2. fol. 221. Theodoric. c. 2. aphor. 16. n. 25. p. 234. Crim.

II. *Definitio.* Famosus libellus est scriptura injuriosa ad infamiam alicujus facta, & in loco publico, sed occulto, vel etiam ficto nomine affixa vel projecta; super tali delicto, quod autor probare non vult, alteri verò pœnam capitale[m] vel corporalem in casu factæ probationis conciliare potest. (1) Dicitur, quod sit *Scriptura injuriosa*, quò nomine intelligitur etiam carmen malum, epigramma, satyra, canticum scœmma, vel alia quædam oratio scripta, quâ alteri infertur injuria. Theodor. c. 2. aphor. 16. num. 23. pag. 2. 3. 4. Criminal. Marqy. Freher. lib. 3. c. 9. num. 23. p. 381. de Infamia, Bocer. cap. 11. num. 3. pag. 8. de famos. libell. (2.) additur, *Que ad infamiam alicujus pertinet*, per l. 5. §. 9. ff. de Injur. Et quantumvis in alia non scripta, sed ore saltem prolata injuria crimen objectum etiam ad alterius infamiam pertineat; tamen distinguitur à famoso libello, quod injuria per libellum famosum prolata latius pateat, nec non alterius nomen & famam atrocius lædat, quàm illa, quæ ore saltem profertur, cum scripta injuria magis duret, nec non magis publica sit, quàm illa, quæ ore tenus fit. Theodoricus c. 2. aph. 16.